

CONCLUSIO EX HIERO-
 NYMO DE ZANETINIS, QVA
 disputationi & argumentis Angeli respon-
 detur in c. 1. Ext. de accusat.

AN ALCHYMIA sit peccatum, & ars reproba-
 ta? Alber. in Dict. juris civ. in ver. Alchymia ar-
 guit, & Jo. And. in addit. Spec. in tit. de crim. fal-
 si. Jo. de Ana. in c. 2. de sortileg. & Pet. de Anchar.
 in c. 1. eod. tit. Bald. in c. 1. quæ sunt regal. & Tho.
 secunda secundæ qu. 77. art. 2. & finaliter videntur tenere,
 quòd non videntur peccare, si attribuunt Deo: quia non
 mutant unam speciem in aliam (ut eis imponitur) quia hoc
 est impossibile: sed dicunt, quòd ex una specie metalli (scili-
 cet stanno) potest alia species metalli (scilicet aurum, vel ar-
 gentum) produci. Nec hoc est inconueniens. Or videmus
 quandoque quòd ex re mortua producitur viva, ut in ver-
 micibus, ex quibus producitur sericum. Nam omnia metalla
 procedunt ex eodem principio, scilicet ex sulphure, & ar-
 gento vivo: sed ex virtute elementorum quædam habent
 majorem influentiam in uno loco, quàm in alio, & in una cõ-
 stituta fit stannum, in alia argentum, in alia aurum, & ideo est
 licita: dummodo non fiat per artem magicam, vel aliam le-
 gitibus odiosam. leg. 1. Cod. de Theaur. libro decimo: sunt e-
 nim laudandi. Adde tamen Summam Angelicam, in verb.
 Alchymia, quæ tenet, quòd ars sit illicita ex multis respecti-
 bus: tum primò, quia nullus invenitur qui habeat hujusmo-
 di veram artem, licet dicatur de multis: sed falsum ex expe-
 rientia: tum quia videmus, quòd communiter ipsam facien-
 tes multa consumunt, & à communiter accidentibus est stã-
 tum. Vnde de ipsis dicitur illud ad Timoth. cap. tertio, & d. c.
 sec mirum. 26. quæst. 5. Semper addiscentes, & nunquam ad
 scientiam veritatis pervenientes. Experientias multas faci-
 unt, & nunquam ad perfectum attingunt: tempus vitamque
 consumunt, nec id quòd operatur, habet veritatem cum au-
 ro vel argento, sed solùm apparentiam. Et ideo simpliciter
 sunt condemnandi Alchymistæ. Et hoc evidenter probatur:
 quia nemo eam in publico vult facere: ut appareat quòd ma-
 gicè agunt: quia odiunt lucem. & si aliquando verum faciant,
 aut fit cū damno, computatis expēsis, vel ex aliqua deceptio-